



2604

9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
21






Inhaltsverzeichnis.

1. Capittel, Andr. (Jesuit) Clara Privatetica Herculis  
Philosophi. Dilingae 1617 disput. phil.
- 2-8 Capittel, Andr. disput. philos. Dilingae 1618 - 19
9. Baeherus, Petrus (Jesuit) disput. theol. Dilingae 1619
10. Forer, Laurentius. disput. philos. Dilingae 1615
11. Coscanus, Oswaldus. " " " 1616
12. Stengelius, Georgius. " " " 1617
13. Sandinus, Ambrosius. " " " 1614
14. Bildermanus, Jac. " " " 1617
- 15-20 Bidermanus, Jac. " " " 1618
- 21-22 Sutore, Joh. " " " 1618, 19







DE ANIMA,

QVAM

IN CELEBRI ET CATHO-

LICA ACADEMIA DILINGANA,

die Iunij, Anno M. DC. XVI.

PRÆSIDE

OSWALDO COSCANO SOCIETA-

TIS IESV, PHILOSOPHIÆ PRO-

FESSORE ORDINARIO.

*Publicè defendet*

VDALRICVS SATLER, DILIN-

GANVS, SVEVVS, S. D. N. ALUM-

NVS, PHILOSOPHIÆ BAC-

CALAVREVS.



✻ DILINGÆ, ✻

Apud Viduam IOANNIS MAYER.



DESSERTATIO PHYSICA

DE ANIMA

QUAM

PER CEELESTIUM CATHO-

LICAM ACADEMIAM DILINGENSIAM

ANNO MDCCLXXII

PRESIDE

OSWALDO COSCANO SOCIETA-

TIS IESU PHILOSOPHIE PRO-

FESSORE ORDINARIO

Publice defendit

ADALRICVS SATLER, DILIN-

GAVVS, SVAVVS, S.D.N. ALVM-

NVS, PHILOSOPHIE BAC-

CALAREVS



DILLINGEN

Apud Johannem Mayer







ADMODVM REVERENDO  
IN CHRISTO PATRI AC DOMI-  
NO, D. IACOBO IMPERIALIS WET-  
TENHAUSANI MONASTERII PRÆPOSITO  
Amplissimo, ac Canonorum Regularium S. Augusti-  
ni per Augustensem Episcopatum pro tempore Vi-  
sitatori dignissimo, Domino, & Patrono  
suo summa obseruantia  
colendo.



VM ANIMA MAGIS IBI  
sit vbi amat, quàm vbi animat.  
Præsul Amplissime, non existi-  
mo animam meam satis meam  
esse aut apud me, sed tuam po-  
tius aut apud te iugiter commo-  
rari, tantus est in te amor meus,  
quem ex debito vendicas. In  
vtroq; mundo, *Cælesti & Sublunari*  
duo maximè eminent præ cæteris rebus, Sol & Aurum,  
quæ admirabilitatem aliquam continent pari laude ex-  
tollendam, ornamentis virtutum tuarum declarandis  
aptissimam. Sol ille cælestis tot rerum effector, ibi ma-  
ximè operatur vbi non est, videlicet in terra, in qua mi-  
rabiles effectus parit, quos neutiquam parit ibi vbi est, vi-  
delicet in cælo, quod exornare satis habet; ita vt idem  
Sol cælis sit ornamento, terris emolumento. Aurum  
A 2 quo-



quoq; nequaquam ibi prodest vbi nascitur, sed vt pro-  
foras prodire ac montium carcerem vitare debet, & sem-  
per emolumenta sua longè à se posita habet, nemoq; frui-  
tur facilè auro, nisi qui illud ad comparanda sibi necessa-  
ria ab se permutando ablegat, vt prodest ibi vbi non est li-  
cet delectet ibi vbi est. Eximia tuæ virtutes Admodū R.<sup>de</sup>  
& Amplissime Domine Præposite non tantum Monaste-  
rio tuo tanquam Sol cælo continentur, sed foras proma-  
nant, quando quàm plurimis mortalibus prodes, qui-  
bus beneficia largiris, inter quos ego me publico hoc, li-  
cet exiguo gratitudinis testimonio numero. Tu idem tu-  
is es luculentissimo ornamento, alijs verò vberissimo e-  
molumento. Instar auri præterea ibi quoq; prodes vbi  
non es, qua ratione efficis vt quàm maximè ibi sis vbi non  
es. An non igitur meritò Mentes ad te rapis, vt te ament,  
sintq; potius amando apud patronum suum, quàm ani-  
mando apud seipsas, cum tu ipse adeò apud alios & alio-  
rum sis, vt minimè tuus censi possis? Qua in re optimi  
Magnatis fungeris officio, neque hæc tua laus vnquam  
intermorietur. Vale Amplissime Præsul, & hos labo-  
res meos, quos tibi dedico benigna fronte suscipe. Di-  
lingæ, XVII. Cal. Iulij. M. DC. XVI.

Admodum R.<sup>de</sup> & Amplissimæ

Paternitatis V.<sup>æ</sup>

Obsequentissimus Cliens

V DALRICVS SATLER.





**Q**uod Rdo Disputationis huius est iste. Primò: Anima & animata in communi examina- buntur. Secundò: de potentijs animæ in communi disceptabitur. Tertio: Anima Ve- getatiua cum suis potentijs expendetur. Quarto: Ani- ma Sensitiua, & Quintò: Anima Rationalis.

**CAPVT PRIMVM.**

**DE ANIMA ET ANIMATIS**

**IN COMMVNI.**

**THESIS PRIMA.**



**V**ANDO ARISTOTELES

2. de anima c. 1. Animam definitiuit esse actum primum corporis or- ganici potentia vitam habentis: *ansano Aristote quarendi per quidnam corpus constituatur organicum.*

Nobis non videtur ad hoc sufficere diuersitas accidentalium dispositio- num. Nec satis dicunt, qui per ipsam animam volunt corpus constitui or-

ganicum. Sed verius asseritur id fieri per formam quandam sub- stantialem (corporeitatis appellari posset) quæ est aggregatum quid ex formis partialibus partium homogenearum, carnis videli- cet, ossis, cutis &c.



## DISPUTATIO

## II.

Formae haec non sunt de essentia uiuentis, sed corporis; quod est pars non secundum omnia, quae continet in se, Essentialis essentialiter, sed integraliter: quare et si omni uiuenti naturaliter debeantur haec formae, posset tamen per absolutam Dei potentiam fieri aliquod uiuens, quod actu nullam haberet formam partialem. Praeterea haec formae non quidem composito dant subsistentiam, dant tamen partibus corporis subsistentiam secundum quid, quod sufficit ut nomen formarum substantialium mereantur: pari modo etiam dant praedicata essentialia non composito, sed partibus. Anima a corpore soluta non immediate succedit alia forma, sed materia sub formis partialibus aliquamdiu potest existere: Nec in eodem instanti, quo anima abit producitur forma quaedam substantialis, quae cadaver constituat.

## III.

Aliam etiam animae definitionem habet Aristoteles, per quam a posteriore probat priorem, & est haec: Anima est primum principium, quo uiuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus. Haec, ut omnibus animabus conueniat, conditionate accipi debet, ut eius sensus sit: Anima est principium, quo uiuunt, quae uiuunt, sentiunt, quae sentiunt &c. Ex utraque hac definitione recte colligimus animam esse formam substantialem, & non accidens a temperamento nil distinctum, ut quidam perperam senserunt. Alij quidam arbitrati sunt Animam esse corpus quoddam subtile, aut ignem aut aërem: sed male: sic enim duo corpora naturaliter se penetrarent.

## IV.

Animarum inter se realiter distinctarum tria genera ex triplici operationum eleuatione colligimus: Est enim 1. quaedam anima, quae ad operandum indiget materia interna, quam ope primarum qualitatuum concoctam in uiuentis substantiam conuertit. 2. est alia, quae indiget quidem etiam materia, at longè eleuatione  
videli-



videlicet speciebus sensibilibus ab obiecto in organum & potenti-  
am sensitivam missis. 3. Est aliqua, quae penitus non indiget mate-  
ria, circa quam versetur, sed à materia abstrahit etiam ipsam ma-  
teriam: unde sibi ipsa fabricat species intelligibiles Spirituales, quae  
rem representant.

## V.

Animatorum seu viventium quatuor sunt genera, quorum  
numerus desumitur à numero potentiarum & operationum sepa-  
rabilium in genere. Unde licet potentiarum quinque sint genera;  
quia tamen sensitiva nunquam sine appetitiva reperitur, fit ut  
tantum quatuor sint viventium genera. 1. eorum, quae solum nu-  
triantur. 2. eorum, quae nutriuntur sentiunt, & appetunt. 3. eo-  
rum, quae iusuper etiam locomouentur. 4. denique eorum, quae nu-  
triantur, sentiunt, appetunt, locomouentur, & intelligunt.

## VI.

An in formatione fetus plures animae sibi succedant, pro-  
blema sit: interim tamen certum est, simul & eodem tempore in  
quolibet vivente non plures, sed unam esse animam, quae non tan-  
tum in certa parte, ut corde aut cerebro &c. residet, sed informat  
omnes partes, quae vivunt. Quae partes in homine praesertim &  
animalibus vivunt: discerni debet ex eo, quatenam nutriantur. De  
solidioribus partibus homogeneis & non excrementitijs nemo du-  
bitat, quin vivant: de cute, dentibus, cerebro, medulla, ea nimirum  
quae in spina dorso est, asserimus vivere: humoribus autem fluidis,  
sanguini scilicet, flava & atra bili, pituita, sicut & pilis, unguibus  
& alijs merè excrementitijs, aut quae in nutritionem tantum ce-  
dunt, vitam denegamus, quandoquidem haec per intus susceptio-  
nem non nutriuntur.

## VII.

Animam per totum vivens esse continuam, vel inde pro-  
batur, quia aliàs vivens esset merè aggregatum: an autem per to-  
tum sit homogeneum quid, maior lis est: Sunt qui velint unam  
eius



eius partem alterâ indiuiduali perfectione nobiliorem esse: idque ideo asserere coguntur ut tueantur heterogeneitatem in compositione. Nobis tamen superflua hac heterogeneitas partium unius anima videtur, qui partium compositi diuersitatem formis partialibus adscribimus. Anima materiales, quoniam ita ex potentia materia educuntur, ut ex parte materia pars forma educatur, etiam ipse ut materia diuisibiles sunt: at de rationali hoc dici nequit, illa siquidē tota est in toto, & tota in qualibet parte, pro more entium spiritualiū. Quod si membrum aliquod ab alijs auellitur, tunc anima rationalis, qua in eo fuit, nec perit, nec in cetera membra retrocedit; sed desinit tantum illud informare: Et quia unio eius diuisibilis est, pars unionis in eo casu perit. Quod si aliquando membra humana discontinuata adhuc mouentur, id vel spiritibus vitalibus, vel impulsui vi præcudentis imaginationis impresso, vel miraculo nonnunquam adscribi potest.

## CAPVT SECVNDVM.

### DE POTENTIIS ANIMÆ IN COMMUNI.

#### VIII.

**P**otentia hic sumitur pro principio proximo agendi, siue pro instrumento animæ ad suas operationes vitales eliciendas à natura concesso. Potentiarum quinque genera Peripateticum ex obiectis, tum ex modo operandi collegerunt. 1. Est potentia vegetatiua. 2. Sensitiua. 3. Appetitiua. 4. Locomotiua. 5. Intellectiua. Vegetatiua inest omnibus uiuentibus: Sensitiua & Appetitiua solis & omnibus animalibus: Locomotiua solis & omnibus animalibus perfectioribus, quam Zoophyta sunt: Intellectiua soli homini. De his potentijs lis est, quomodo ab anima distinguantur: Ratione tantum volunt Nominales.



nales; formaliter siue modaliter alij; nos verò strictè realiter distinguimus cum multis asserimus. Contra nominales facit, quòd (vbi inductione patet) substantia non sint immediatè sine instrumento superaddito actiue. Contra alios verò, quòd modi non sint apti eliciendis operationibus.

## IX.

Potentia licet realiter distincta, non tamen necessario debent posse separari, quod non tollit realem distinctionem, quia nimirum singularis interuenit dependentia, cum potentia ab anima producat & conseruetur actione vitali, proinde necesse sit ut in anima maneat. Deinde esto posset, verbi gratia, intellectus separari, non tamen homo cessaret esse intellectiuus tum radicaliter, tum quòd statim ab anima alius intellectus emanaret. Quid si intellectus separatus in lapide poneretur? non eum redderet intellectiuum, quia non est capax effectus eius formalis, unde nec lapidem ad beatitudinem consequendam redderet aptum. Vtrum Deus sine concursu anime possit actiones vitales producere quaritur: quòd in sensu composito, quò scilicet vitales sunt, non possit facile apparet; sed quo ad substantiam actus an possit, distinguendum videtur: Alia sunt actiones vitales quae post se terminum relinquunt, ut nutritio, & has Deus potest se solo producere: alia sunt, quae nullum post se relinquunt terminum, & has sine anima à Deo solo non posse produci probabile est.

## X.

Omnes potentia producantur ab anima tanquam causa principali per emanationem, & quidem in primo instanti immediatè omnes; quamuis logicè loquendo inter se habeant ordinem consecutionis. Subiectantur materiales quidem in sola materia, spirituales in sola anima, non obstante illo axioma: Idem est principium emanationis, & subiectum inhaesionis. Intelligendum enim est de toto supposito, ita ut quod emanat ab aliquo principio non transeat extra suppositum, licet non in ea parte suppositi

B

reci-



recipiatur, ex qua emanat. Destructo composito spirituales potentia manent in anima; materiales verò pereunt, quia à principio conseruatiuo seiunguntur. An quælibet potentia sit in omni parte in qua anima est, problema esto. Si quando potentia destructa videtur, ut potentia videndi in tæco, probabiliter dicitur eam non esse destructam, sed tantum dispositiones ad actus eliciendos requisitas interijisse, & si hæc instaurari possent, etiam potentia suas functiones iterum exerceret.

## XI.

Etiam si diuersitas potentiarum cognoscatur per diuersitatem actuum & obiectorum, nihilominus tamen potentia sunt Entia absoluta includentia respectum transcendentalem ad obiecta tanquam differentias extrinsecas: Vnde ad specificandas potentias non requiritur obiectorum existentia, sed possibilitas. Caterum potentia mediatè ab obiecto, immediatè verò ab actu distinctionem sumit: Actus quidem ab obiecto suo formali, quod tale constituitur per formam ultimam, secundum quam attingitur: potentia igitur specificatur ab actibus qui sæpe in communi quadam ratione conueniunt; quando videlicet cuiuslibet actus obiectum habet aliquid in se, quo conuenit cum obiecto alterius actus, & ratione cuius potentia omnes illos actus exercet; sic omnes actus potentia visua in eo conueniunt, quod tendant in album, nigrum, rubrum &c. quæ colorem habent.

CAPVT TERTIVM.  
DE ANIMA VEGETATIVA.

## XII.



Animæ vegetatiua duplices habet potentias, principales & ministeriales: Illæ habent per se intentum actum; hæc autem ordinatum ad actum principalem.



um. Principales versantur circa alimentum: Nutritiua quidem illud in substantiam viventis vertendo: Augmentatiua quantitatem illius cum quantitate viventis uniendo: Generatiua vim illi seminariam pro similium generatione imprimendo. Distinguuntur tres hæ potentia animæ vegetantis realiter inter se. Quædam animalia generatiuâ destituuntur, ut quædam ex putri materia prognata: Nec enim necesse est, ut omne viuens hanc potentiam habeat.

## XIII.

Ministeriales communiter quatuor numerantur: Attractiua, Retentiua, Concoctiua, Expulsiua: ad quas reuocari potest Disiectiua: quæ omnes præter concoctiuam (hæc enim non est aliqua potentia, sed satis per calorem naturalem transigitur concoctio) à principalibus realiter: inter se autem solo officio differunt: quia omnes eundem gradum in alimento intendunt, scilicet ubi: ut a. Magnes per eandem virtutem ferrum attrahit & retinet, ita etiam anima per eandem potentiam adiutam varijs fibris intestinorum, venarum, membranularum &c. cibum modò huc modò illuc trahit, retinet & expellit.

## XIV.

Alia quædam potentia in sanguificis ab his realiter distincta ministerialis admittenda est, cuius officium est cor & arterias cingere pulsu &c. Vitalis dicta: & habet sub se duas species re distinctas Pulsatilem & Respirabilem: pulsus cordis & arteriarum fit, ut spiritus vitales per totum corpus diffundantur: respiratio autem, ut cor refrigeretur. Pisces non ideo sub glacie moriuntur, quòd respirare nequeant; sed quia aqua inclusa noxias contrahit qualitates. Porro etsi omnis aër, qui à corde redit, calidus sit, attamen tunc tantum sentitur calidus, quando patulo ore, diductoque hiatu emittitur; frigidus verò, si compressis labijs paulo fortius efflatur: Et hoc ideo, quia hiante ore simul totus aër ex pulmonibus extruditur, ita ut à circumstante aëre non facile frigeat, ut solet quando minutus per angustias labellorum exprimitur.





## XV.

Potentia nutritiua primarius actus est unio formæ viuē-  
tis cum materia alimenti, connotatis præuis dispositionibus, inter  
quas sunt concoctio, intussusceptio in poros, quæ actiones non re-  
quiruntur ad quamcunque aliam ad generationem in non uiuen-  
tibus. Porro necesse est, ut non solum materiae alimenti uniat  
particula formæ ( si est materialis ) sed in eodem instanti quamuis  
natura postea tum materia alimenti, tum noua eius forma cum  
uiuente continuentur. In nutritione hominis, quia non educitur  
ex potētia alimenti noua particula formæ, debet materia alimenti  
natura prius continuari cum alito. Nutritio specificatur à termi-  
no ad quem: sic etiam si homo & leo nutriuntur eodem cibo, utri-  
usq; tamen nutritio ab alterius differet specie: Fit, si extensionem  
partium spectes, successiue; si intensionem, in instanti: Nec necesse  
est ut sit in omnibus membris continua, sed potest modò hic, modò  
ibi defectu alimenti, aut potentia attractiua &c. interrumpi.  
Probabile est toto vitæ tempore manere partes quasdam spermaticas  
ex quibus primò fœtus formatus est.

## XVI.

Alimento conditiones quædam ponendæ sunt. 1. ut possit  
superari ab alito, & in eius substantiam conuerti: hinc pili, metalla,  
&c. non nutriunt. 2. ut sit dissimile ( remotum intelligo ) hinc  
quando surculus eiusdem speciei arbori inseritur, eiq; continua-  
tur, non propterea arbor nutritur, sed tantum per accretionem au-  
getur. 3. ut sit substantia; quia debet amissa propria forma recipe-  
re formam aliti: quare etsi odor nonnunquam refocillando cere-  
brum, & spiritus vitales, aliquantulum vitam proroget, non ta-  
men nutrit. 4. ut sit mixtū, quia purum elementum habet unam  
qualitatem in summo, quæ in mixto semper fracta, & remissa est,  
quo circa mixtum non potest agere cum victoria in elementum  
& illud in suam substantiam transmutare. Debet præterea  
alimentum esse calidum, humidum actu, vel potestate, & dulce,  
illud



illud maximè quod nutritioni proximum est, ut est sanguis.

## XVII.

Cum sanguine, qui ex sua natura calidus est specie conueniunt adeps, spiritus vitalis & animalis, lac &c. Item secunda humiditates, in quas mutatur sanguis, antequam formam per nutritionem recipit: hæc omnia sicut sanguis vita carent. Vena quæ sanguinem vehunt per corpus, ut & arteria, quæ spiritus vitales in sinistro cordis sinu concoctos deferunt, originem suam sumunt ex corde. Nerui verò quibus spiritus animales pro sensibus, & motu locali transferuntur; ex cerebro, & medulla spinæ dorsi oriuntur: Ex quo tamen non sequitur cerebrum potius, quàm cor esse primum fontem motus, & sensationis: Nam cor subministrat spiritus vitales, vel instrumenta motus, & sensationis, qui tamen cum calidiores sint, quàm motus, & sensus requirant, in cerebro debent refrigerari quantum satis est: Vnde non immeritò inter membra principatum cordi deferimus, quod etiam primò formatur.

## XVIII.

Augmentatiua potentia essentialis & vitalis actus est unire quantitatem alimenti cum quantitate aliti, & quidem ante consistentia annos semper maiorem, quam deperdita erat, post hos verò annos, aut æqualem aut minorem. Huius potentia est etiam adducere viuens ad debitam magnitudinem, & prohibere maiorem, & denique debitam naturæ viuentis figuram conseruare. Plerumque autem actus nutritionis & augmentationis coniuncti sunt, quamuis non necessariò: potest siquidem contingere, ut prius alimenti materia, & quantitas alito uniantur, quàm formæ destructæ alimenti succedat forma viuentis. Est præterea augmentatio successiua, licet aliquando possit fieri in instanti, & quemadmodum de nutritione dictum, potest modò in hoc membro, modò in illo, imò etiam in toto corpore ad breue tempus cessare.

## XIX.

B 3

Viuens.



*Viuentia habent certos terminos tum magnitudinis, tum paruitatis, quos nec in generatione nec in augmentatione unquam seruata lege natura excedunt. Elementa & homogenea mixta ex sua natura non habent terminum magnitudinis; habent tamen secundum cursum & statum natura terminum intrinsecum paruitatis, tum vt generari, tum vt conseruari possint: quo ad absolutam tamen possibilitatem credibile est non habere minimum quod sic. His insuper, quæ rarefiunt, certus terminus magnitudinis; quæ densantur, paruitatis præfixus est, quem sine accessu aut decessu Entitatis absoluta non possunt transgredi.*

XX.

*Fit autem Rarefactio tunc, quando manens eadem quantitas & non aucta materiam, in qua est magis, & magis perficit, tribuendo scilicet maiorem extensionem, ita vt maiorem locum occupet rarefacta, quam antequam rarefieret. E contra etiam condensatione nihil de quantitate destruit, sed solum ita eam contrahit, vt minore iam ambitu claudatur. Difficile autem est concipere condensationem sine partium penetratione; rarefactionem sine pororum dilatatione, & tamen ita fieri omnino necesse est.*

## CAPVT QVARTVM.

## DE ANIMA SENSITIVA.

XXI.

**H***ec anima tres habet generaliter potentias: Sensitiuam, Appetitiuam, & Locomotiuam. Sensitiua externa potentia quinque tantum sub se habet species: Visum, auditum, olfactum, gustum, tactum. Statuimus cum Aristotele sensibile supra sensorium positum non sentiri; siue sensibile illud*



illud in sensorio subiectetur, siue tantum extrinsecus ei apponatur, atq; adeo ad omnem sensum requiri medium siue internum, quale est caro & cutis in gustu & tactu; siue externum, quale est aer in visu, auditu, olfactu: Item in omni sensu necessarias esse species impressas: idq; hanc ob causam, quia potentia sensitiva operandi modus iste est, ut assimilatur obiecto: assimilari vero nequit nisi imago quadam ab obiecto potentia imprimatur, à qua ad eliciendam huius obiecti sensationem & determinetur & excitetur.

## XXII.

Sunt hæ species impressæ qualitates essentialiter distinctæ ab obiectis, à quibus producuntur, & quidem ex potentia subiecti educuntur: Subiectum earum est tum medium, tum organum. Sunt item virtuales tantum imagines obiectorum, & non formales siue actuales; quod hinc colligitur, quia etsi potentia has habeat, non dum tamen actualiter est assimilata obiecto, nisi etiam eliciat speciem expressam. Et quia potentia his speciebus imbuta & determinata agere potest, sine ijs non potest; recte dicuntur hæ species ad sensationem effectiuè concurrere: ita quidem ut ex potentia determinata & specie determinante una integra causa instrumentalis; ex obiecto similiter, & anima una principalis confletur.

## XXIII.

Ita dependent hæ species à presentia suorum obiectorum, ut viribus nature ne per momentum quidem sine ijs conseruari possint: possunt tamen virtute diuina sine ijs & fieri & conseruari: per quas ita conseruatas obiectum tum absens, tum omnino non existens sentiri posset: Non tamen sensus haberet cognitionem abstractiuam, sed intuitiuam, quandoquidem rem cognosceret ut presentem, licet non realiter, sed in sua specie. Sensibile existens in puncto naturaliter species non produceret, atq; adeo sentiri non posset; sed si diuinitus producerentur, status iste existendi non impediret sensationem.

## XXIV. Spe-



## XXIV.

Species sunt diuisibiles quo ad entitatem, sicut cetera accidentia materialia, cum recipiantur in materia & ei coextendantur: Indiuisibiles autem quo ad representationem, id est, qualibet minima particula speciei secundum extensionem localem est representatiua totius obiecti, quia nimirum qualibet pars obiecti, in totam peripheriam per lineam non impeditam producit suam speciem; unde in quolibet indiuisibili spatij omnium partium species intimè se penetrantes concurrunt, atq; adeò in quolibet minimo spatio est talis entitas speciei, quæ representet totum obiectum. Præterea sunt diuisibiles secundum intensionem, maximè quando ipsum obiectum est intensibile. Probabilior est sententia, quæ negat speciem aliquando sentiri, atque adeò quando homo inspicit speculum, non suam imaginem, sed se ipsum per species reflexas intuetur.

## XXV.

Sensus est potentia partim actiua, partim passiuæ, quia sensationem elicit & in se recipit: præterea etiam speciem impressam recipit, & per illam determinatur ad sentiendum. Sensibile duplex est, alterum per se; alterum per accidens. Ad sensibile per accidens pertinet, ut possit per se ab alia potentia percipi: Ad sensibile per se, ut in sua entitate aliquo modo percipiatur: Et hoc est duplex, propriū & commune: propriū est quod ab uno solo sensu externo cognoscitur, commune quod à pluribus. Communia sensibilia communiter & rectè quinque numerantur: figura, magnitudo (non intellige quantitatis entitatem sed qualemcumq; extensionem ad locum & distantiam) numerus, motus & quies: hæc tria posteriora sentiuntur materialiter tantum spectata: Ad quinque hæc facile cetera reducuntur si quæ alia sunt sensibilia communia: ut continuum & discretum ad numerum; obtusum, acutum, asperum &c. ad figuram: distantia, equalitas, &c. ad magnitudinem. Sensibilia communia non producunt nouam prorsus & distin-



distinctam speciem à specie sensibilis proprij; sed hanc modificant: ex quo consequens est nunquam sensibile commune sine proprio posse percipi.

## XXVI.

Quando Aristoteles, 2. de anima t. 63. docet sensum circa proprium sensibile non errare, errare circa commune: intelligi debet, quod non ita facile circa proprium, quàm circa commune contingat errare. Oritur autem error ex triplici causa. 1. ex mala dispositione organi: sic oculo flauo flavescent omnia. 2. Ex affectione mediij: sic per vitrum rubrum omnia apparent rubra. 3. Ex distantia & propinquitate: sic eminus visa silua, non viridis, sed nigra apparet. Ex qua etiam causa fit, ut res modò maior modò minor appareat: cum enim species ab obiecto per modum coni in oculum mittatur, quo magis res distat, eo minor fit coni illius apex, qui terminatur in oculo: imò potest ita diminui, ut nullam notabilem habeat magnitudinem, & tunc res omnino visum effugit. Ex quo apparet cur quadrata eminus visa videantur rotunda, extrema pars platea angustior &c. Vehemens sensibile ( & experientia testis est) ledit sensum: verum non actione intentionali producendo scilicet species; sed actione reali producendo aliquam qualitatem, qua temperiem organi destruat. Demum sensus non cognoscit suam sensationem, siquidem reflexa cognitio soli intellectui reseruetur.

## XXVII.

Obiectum proprium visus est color prout communis est luci & colori in significato strictiore sumpto. Definitur color, quem sensibile visus diximus, ab Aristotele 2. de anima t. 67. Motuum perspicui actu. Perspicuum actu est id corpus, quod & diaphanum est & illuminatur: color igitur est, qui per tale medium suas transmittit species: Nec refert, quod etiam sonus & odor per tale medium transfundant suas species; nisi enim ad has species facit illuminatio, cum aequè in medio tenebroso atq; illuminato reperiantur.

C

XXVIII. Lux



## XXVIII.

Lux est qualitas illa fulgida in corporibus fulgentibus & coruscantibus. Lumen verò qualitas illa, quæ à luce circumquaque in corpore diaphano producitur, & definitur ab Aristotele Actus corporis perspicui: Ex quo patet lumen esse qualitatem corporeã. Opacitas oritur ex lucis aut coloris densitate in profunditate corporis. Diaphaneitas non videtur aliquid positivum, sed sola non-resistentia lumini; & vult Aristoteles, teste Aguilonio, omne corpus ex natura sua esse diaphanũ, & ex accidente fieri opacum. Non distinguuntur essentialiter luces inter se, & lumina inter se. Lumen etiam si se habeat instar speciei, non tamen est species lucis, sed conditio necessario requisita, ut tũ lux, tum color suas species profundere possint. Lumen purum in diaphano puro videri nequit; impurum tamen, quod habet aliquid opacitatis admixtum, videri potest. Est ergò lumen purum, tantum quasi medium aut conditio ad visionem requisita. Luminis intensio hoc habet peculiare, quod simile quo ad intensiorem possit simile intendere.

## XXIX.

Color, altera pars obiecti visus secunda est qualitas, & oritur ex primis, non quidem solis, sed accidentibus insuper luce, quæ est ab igne, & opacitate, quæ est à terra: Vnde verus & realis color non nisi in mixtis corporibus subiectatur. Albedo & nigredo extremi sunt colores: ille fit ex mixtione & refractione primarum qualitatũ prædominante lucido, hic prædominante opaco; alij colores mediũ sunt. Apparens color aliquot modis oriri potest. 1. cum veri colores in minutissimas particulas conciduntur. 2. cum vnus color per alterum transpareat. 3. quando ipsum lumen quomodocunq; tingitur. 4. Ex refractione luminis. 5. ex distantia. sic calum videtur caruleum, cum tamen colore careat. 6. quando sola opacitas miscetur lumini, ut in nubibus fit.

## XXX.

visio



Visio non fit per extramissionem, sed per susceptionem specierum: at in qua parte oculi? Communis est sententia fieri in pupilla, qua non tantum pro foramine vuae tunica, sed accipitur pro principua parte latente sub illo foramine, id est tunica aranea & humore Crystallino. Sunt qui velint solam araneam sentire; alij solum humorem Crystallinum: Nobis videtur probabilis sententia, qua vult visionem fieri in utroq; simul.

## XXXI.

Auditio, qua est perceptio soni, non fit in aere innato, qui non viuit, sed in miringe, qua est membrana inuoluens aërem innatum. Sonus fit motu locali, maxime quando corpus subtile & liquidum in medio duorum corporum expellitur: aliàs ferè quocunque motu vehementiore sonus editur: In genere tamen non fit sonus ullus quin oriatur ex motu corporis liquidi saltem ruptione scissi, vel in aliud ruptum repente irruentis &c. Ipse qui imprimit impulsu posito motu & impulsu per corpora collisa velut instrumenta efficit sonum, qui tamen non est Ens successiuum. Potest subiectari non in solo aere, sed etiam in alijs porosis corporibus; imò & in aqua experientia teste. Potest intendi, & quidem secundum eandem partem. Peruenit ad aurem raro secundum esse reale, communiter tantum secundum intentionale, mittendo videlicet species. Contingit Echo quando vnus sonus per reflexionem specierum saepius auditur: At cum species in instanti producantur cur vnam Echo post aliam cum successione audimus? haec videtur causa: quia sonus, à quo dependent species, per subiecti sui motionem ad aliquod spacium transfertur, ad motum autem soni necessario etiam species vltimus cum successione promouentur, sicut lumen ad motum lucernae; & haec etiam causa est, cur iectum scindentis ligna eminus citius videamus, quam audiamus.

## XXXII.

Obiectum olfactus est odor, qui est qualitas secunda orta ex commixtione primarum, praedominante sicco & aliquo modo calido;





lido; siue hæc duo ab extrinseco ad debitum gradum perueniant, siue ab intrinseco. Organum olfactus statuimus nervos ex cerebro deductos usq; ad foramen cranij, per quod etiam aërem admittimus: Et sunt duo, desinuntq; in duos globulos spongiosos (processus mamillares vocant) qui odoris species imbibunt per respirationem attrahendo exhalationes odoriferas. Producit odor species suas etiam in instanti, in parua tamen sphaera.

## XXXIII.

Tametsi gustus presupponit tactum, est tamen sensus à tactu diuersus, differens tum organo, tum obiecto. Organum quidem eius sunt ij nerui, qui è cerebro deducti sparguntur per linguam, palatum & anteriora glutiendi organa. Compressio lingua ad palatum est conditio vt plurimum necessaria gustandi. Obiectum est sapor, qualitas secunda orta ex primis prædominante humido seu actuali seu virtuali: ita tamen vt redigatur in actum per calidam saliuam, si sit virtualis. Hinc patet cur communiter ea, quæ sunt boni odoris sint mali saporis: bonus siquidem sapor amat humiditatem, bonus odor siccitatem, quæ in eminentiore gradu non facile in eadem re inueniuntur, nisi secundum diuersas partes: quocirca si quæ simul odorifera sunt & sapida, ea secundum partes sicciore, quas includunt, bene olent, secundum humidiores benè sapiunt.

## XXXIV.

Tactus hic accipitur pro sensatione quarundam qualitatum, quæ nullo alio sensu percipiuntur. Presupponit hic tactus ferè semper illum mathematicum, per quem duo corpora immediate se tangunt. Sensorium eius sunt nerui; caro & cutis tantum medium. Ex eo autem probatur ad tactum requiri aliquod medium; quia tangens non debet formaliter habere totam qualitatem eius, quod tangitur: sed nisi intercedat medium, sensibile statim suam totam qualitatem in organo non admodum resistente producet; ergo non fiet sensatio, si immediate sensibile supra sensorium ponatur.



natur. Sed cur leuissimè radens cutem sentit, si cutis non est sensoriū? Respondemus quod sensibile in eo instanti, quo mathematicè attingit cutem, suas species mittat ad viciniore nervos & ab ijs percipiatur.

XXXV.

Obiectum tactus sunt quatuor primæ qualitates, & nonnullæ ex secundis, ut mollities, durities: grauitas & leuitas per accidens sentiuntur. Dolor & voluptas pertinent ad hunc sensum ratione qualitatum, quæ inducuntur: ad appetitum ratione prosecutionis aut fuga, ut qualitatum conuenientium aut disconuenientium ad certas partes: eodem modo dicendum de fame & siti, quæ formaliter consistunt in appetitu; illa calidi & sicci; hæc humidi & frigidi; qui appetitus causatur remotè à dolore aliquo seu sensu, proximè à Phantasia: pertinent igitur ad tactum quoad remotum fundamentum, ad appetitum quo ad suam rationem formalem. Tactus ex genere suo non requirit, ut sensibile alteret vel medium, vel organum inducendo qualitatem aliquam præter speciem: quatuor tamen primæ qualitates semper alterant carnem dum sentiuntur, quia non præcisè ut qualitates sunt sentiuntur; sed ut qualitates actiue. Possunt duo corpora dura ita coniungi, ut nec aër, nec aliud liquidum intercedat.

XXXVI.

Præter hos sensus externos admittenda est alia potentia cognoscitiua inferior intellectu superior his sensibus, quæ circa omnia externorum sensuum obiecta, & ipsas insuper sensationes cognoscendas occupatur. Dicitur Sensus Internus, quod lateat intus, nec foris aduertatur nisi in effectibus. Hæc potentia quoniam multiplices exercet actus, multiplex & ipsa nonnullis videtur: Nos tamen non nisi unum sensum internum agnoscimus: qui dicitur Sensus communis, quatenus obiecta sensuum externorum discernit. Appellatur Phantasia, quæ sensatum externo sensu velut simplex quid apprehendit. Vocatur Imaginatio, pro ut simpliciter apprehensa combinat. Æstimatiua, quando sensata percipit non sub

C 3

cara-



ea ratione, sub qua sensata sunt, sed sub alia, utpote convenientis vel disconuenientis: quæ ratio apprehendendi est proximum fundamentum appetitus. Est Memoria sensitua, in quantum præterita sensata cognoscit. Præter hos actus Sensus internus hominis ob coniunctionem cum intellectu alios eleuationes habet actus. 1. enim res singulares apprehensas etiam coniungit & diuidit, & ideo dicitur Cogitativa. 2. habita memoria sensitua vnius rei potest reminisci alterius, idq; non solum casualiter, sed data opera, & ex imperio voluntatis; bruta verò tantum fortuito meminerunt: ob hunc actum dicitur Reminiscencia. Indiget & hæc potentia speciebus impressis, quas producit sensatio, siue actio vitalis sensuum externorum: Et subiectantur probabiliter in spiritibus animalibus.

## XXXVII.

Instinctus in brutis est actualis inclinatio ad aliquid operandum congruè suæ naturæ sensitivæ. Porro instinctus in recto dicitur appetitum: in obliquo conotat phantasiam, quia nihil appetitur nisi prius sit in phantasia; Et quia ad phantasiam necessaria via est per sensus externos, fit ut bruta nihil possint appetere, nisi semel sensu illud usurpauerint. Hinc quando ex duobus obiectis nunquam sensu perceptis primò id eligunt, quod sibi conueniens est neglecto eo, quod disconueniens, habent hoc ex determinatione specificæ naturæ suæ, ut posito tali obiecto appetitus bruti eliciat prosecutionem, posito alio fugam: non quòd cognoscat conuenientiam aut disconuenientiam nisi tantum materialiter, sed quod ex naturali sympathia in illud feratur. Appetitus est potentia animæ sensitivæ, per quam inclinatur in obiecta sensu & phantasia percepta: quòd si obiectum est bonum & naturæ congruum, tunc in illud appetitus fertur actu prosecutionis; si malum, actu fugæ. Residet in corde, ut colligi potest ex varijs motibus, qui in corde positæ passionibus varijs oriuntur. Locomotiva residet in musculis, vel aliquo æquivalente, præsertim nervis, tendonibus &c. quæ exercet



exercet suos actus posito appetitu & phantasia, saltem ut conditionibus sine quibus non mouetur seu excitatur per spiritus animales.

## CAPVT QVINTVM.

### DE ANIMA RATIONALI.

#### XXXVIII.

**D**E natura anima rationalis discrepantes aliquorum fuere sententia. Alij dixerunt esse particulam Dei: sed male; sic enim Deus haberet partes aut esset mutabilis, quippe modo doctus, modo ignarus. Alij voluerunt eam esse corpus, idq; vel constans materia & aptum extendi per quantitatem, ut sensit Plato; vel subtilem quandam substantiam, quae non ita spiritualis ut Deus, sed habens aliquid corporeitatis admixtum. Sed vera sententia tenet esse spiritum. Est verè forma informans & primum principium actionum compositi, sed nequam educitur ex potentia materiae: Nec tamen prius creatur, quam informat corpus ne citius in eo sit statu, qui ei est per accidens, quam in eo, qui ei per se debetur. Sicut autem anima rationalis à nullo agente creato produci potest; ita ex natura sua talis est, ut non nisi diuina virtute destrui possit,

#### XXXIX,

Quin omnes anima rationales in entitatiua specifica perfectione aequales sint, nemo ambigit: controuertitur autem de individuali eius perfectione: Nobis arridet ea sententia, quae affirmat omnes esse aequales in perfectione individuali. Quòd una perfectius operatur, quam altera, non adscribendum est maiori vel minori perfectioni ipsarum animarum, sed diuersitati organorum, poten-



potentiarum, & exercitationum: Certè eadem numero anima modo perfectius, modo imperfectius operatur: num propterea in sua entitate modo erit perfectior, modo imperfectior? nec absurdum est dicere Christi animam (si præcisè eius naturam in se spectemus) esse æqualis perfectionis entitatiuæ cum anima Iudæ.

## XL.

Anima rationalis tres habet potentias: Intellectum, Memoriam & Voluntatē: addunt aliqui valdè probabiliter potentiam Locomotiua[m], cuius usus primùm post hanc vitam sit futurus. Intellectus & Memoria non distinguuntur realiter inter se; distinguuntur tamen à Voluntate: quæ distinctio colligi potest ex diuersitate obiectorum; & modo tendendi in obiectum: Voluntas siquidem versatur circa Ens ut bonum; Intellectus verò circa Ens ut verum: Et intellectus fertur in rem ut attrahens eam ad se & apprehendens; Voluntas ut attracta ad ipsam rem & inclinata: Unde ortum habet illud: Anima magis est ubi amat, quam ubi animat. Intellectus quo ad entitatem præstantior est Voluntate.

## XLI.

Ad intelligendum necessarias esse species impressas spirituales hinc probatur; quia alias obiecta materialia non fierent proportionata intellectui; & quia inservire debent memoria: Ita enim differunt memoratio & intellectio, quòd hæc sit actio intellectus de nouo facta, ad quam concurrunt species intelligibiles itidem de nouo facta; illa verò sit operatio quæ fit per species olim acquisitas circa idem obiectum, quod etiam olim cognitum fuit: propter intellectiōnem dicitur potentia Intellectus; propter memoratiōnem dicitur Memoria. Producentur species intelligibiles ab ipso intellectu; propter quod dicitur Intellectus Agens, qui ad præsentiam phantasmatis ex naturali sympathia excitatus mox format speciem impressam; qua habita intellectus Possibilis noua actione elicere potest speciem expressam, siue ipsum actum intelligendi.

LXII. An



*XLII.*  
 An autem phantasma effectiue ad productionem specie-  
 rum intelligibilium concurat, determinando videlicet intelle-  
 ctum Agentem ad hanc & non aliam producendam, controuersum  
 est. Probabilius putamus, quod intellectus Agens non utatur tan-  
 quam instrumento phantasmate: durum enim videtur dicere,  
 quod spirituale in productione rei spiritualis utatur instrumento  
 materiali, quale esset phantasma: habet igitur se phantasma tan-  
 tum ut conditio obiectiua; & quidem tam necessaria, ut naturali-  
 ter intellectus nullam eliciat operationem, nisi simul operante  
 phantasia: quia videmus lesa phantasia intellectum nihil pror-  
 sus posse agere: Ex quo patet naturaliter impossibilem esse veram  
 Ecstasin: qua tunc fit, quando sola voluntas & intellectus ope-  
 rantur omnibus alijs anima potentijs quiescentibus. Alia Ecsta-  
 sis naturaliter possibilis est, quando videlicet phantasia, intelle-  
 ctus, & voluntas operantur tam vehementer, & abstracte, ut  
 anima ceteras actiones vitales intermittat: quia vis eius finita  
 est, adeoque potest se uni potentia ita tribuere, ut alteri non suf-  
 ficiat.

*XLIII.*

Ceterum quia sine presentia phantasmatis species intelli-  
 gibilis produci nequit, fit, ut naturaliter in hac vita tantum acci-  
 dentium quorundam, eorum videlicet, quae per se sensibus percipi-  
 untur, proprias & distinctas habere possimus species intelligibiles.  
 Hinc ortu est illud axioma: Nihil est in intellectu, quod non prius  
 fuerit in sensu. Quare cum nec substantia, nec qualitas, quo ad  
 suam Entitatem possit cadere sub sensu, debemus in ijs intelligen-  
 dis alienis uti speciebus: potest enim una species ad multas res in-  
 telligendas ab intellectu applicari. Hinc tamen non sequitur, cum  
 Deum aut aliam substantiam concipimus, nos non habere propri-  
 um conceptum, eum enim per speciem alienam possumus formare  
 conceptum, qui nulli alteri competit ( licet non distincte naturam

C s

obiecti

mo-  
 n sua  
 dum  
 mus)  
 Me-  
 eni-  
 futu-  
 er se;  
 est ex  
 untas  
 a Ens  
 se &  
 ata:  
 a ubi  
 olun-  
 spiri-  
 erent  
 : Ita  
 telle-  
 es iti-  
 m ac-  
 : pi o-  
 rora-  
 les ab  
 ui ad  
 mox  
 is no-  
 m in-  
 Au





obiecti representet) unde merito illi proprius esse iudicatur. Et quandoquidem una species pluribus intellectibus sufficit, superuacaneum videtur asserere per aliam speciem impressam concipi singulare; per aliam uniuersale.

## XLIV.

Intellectus Agens, qui producit speciem impressam probabiliter distinguitur ab intellectu possibili: cuius est producere speciem expressam: quoniam in omnibus alijs potentijs cognoscentibus, id, quod speciem impressam producit, distinctum est ab ipsa potentia. Species expressa quatenus actualiter assimilat intellectum obiecto & est imago obiecti vitaliter expressa, vocatur verbum mentis: & ponitur in predicamento qualitatis sub dispositione: pro ut autem in fieri dependet ab intellectu, actio est, & dicitur intellectio siue dictio: Et quod de verbo mentis dictum, idem de terminis aliarum cognitionum, imò & volitionis proportionaliter intelligendum est: Omnes enim producunt aliquem terminum, quem potentia in se recipiunt, qui tamen non ubiq; habet proprium nomen ut in intellectu, ubi dicitur verbum mentis. In Phantasia dicitur Phantasma; in Voluntate potest aliquando dici amor, impulsus, inclinatio &c.

## XLV.

Voluntas est potentia spiritalis, per quam anima rationalis appetit. Ita dependet in operando ab intellectu, ut nihil possit velle sine intellectu apprehendente, & quidem naturâ prius, quam velit: Ex quo patet primam intellectioem non esse voluntariam. Duplices habet Voluntas actus, prosecutionis & fuga: Actus prosecutionis fertur in rem, ut in se habet bonitatem; actu fuga fertur in rem ut caret bonitate: sic semper bonitas est ratio excitandi Voluntatem: nec potest Voluntas bonum, ut bonum est, respicere, & malum ut malum amare. Iam hac est actuum Voluntatis subordinatio: vel bonum & malum est arduum & difficile vel



vel non : si primum ; tunc Voluntas dicitur irascibilis : si secundum ; eadem dicitur concupiscibilis.

## XLVI.

Voluntatem nostram esse potentiam liberam tum fides catholica tum experientia & ratio naturalis docet. Libertas est indifferentia quadam, & indeterminatio ad agendum & non agendum, ita ut positis omnibus requisitis ad agendum Voluntas possit agere & non agere : quæ libertas dicitur exercitij siue contradictionis : vel ut possit hoc positivum, & illud agere ; quæ vocatur libertas specificationis : Quod si hæc duo quæ agere potest sint contraria, ut bonum & malum ; tunc dicitur libertas contrarietatis : & hanc etiam habent ordinariè homines : si autem non sint contraria, sed duo bona ; tunc dicitur libertas diuersitatis. Iam verò libertatem exercitij semper ferè habet Voluntas humana, non item libertatem specificationis : Nam circa bonum in communi, aut felicitatem si velit actum elicere non potest non amorem elicere : Libertatem diuersitatis habet etiam in duobus bonis, quorum alterum altero melius est. Hæc Voluntatis libertas tanta est, ut nec artibus magicis, nec influentijs caelestibus tolli queat, nisi ipse usus rationis euertatur : Nec diuina præscientia, nec Dei concursus cum nostra actione obstat libertati huic : non enim impediunt, quo minus homo positus omnibus ad agendum requisitis possit agere & non agere. Deus autem potest Voluntatem nostram moraliter & obiectiuè interna suasionem & inspirationem mouere, & proponere obiectum ita conueniens, ut omnino quo ad specificationem non sit libera in oppositum.

## XLVII.

Animam rationalem separatam à corpore alij volunt esse in statu naturali, alij nec naturali, nec violento, sed præter naturam ; sed utrum dicatur, parum refert ; quippe cum pro utroque statu habeat sufficientia principia. Differt ab Angelis essentialiter, & quidem essentiali perfectione inferior est : utriusque itidem intellectus



Intellectus essentialiter differt; diuersimodè enim intelligunt obiecta, orta diuersitate ex modo intelligendi. Nam homo sibi ipse fabricat species, aut ad similitudinem à se factarum ab alio factas recipit. Angelus ex sua natura sibi non facit species, sed ab alio factas perfectiore modo recipit. Vnde intellectus humanus dicit essentialem ordinem ad sensum, non item intellectus


Angelicus.

**Laus Deo & Virgini  
Matri Dei.**


Intellectus essentialiter differt; diuersimodè enim intelligunt obiecta, orta diuersitate ex modo intelligendi. Nam homo sibi ipse fabricat species, aut ad similitudinem à se factarum ab alio factas recipit. Angelus ex sua natura sibi non facit species, sed ab alio factas perfectiore modo recipit. Vnde intellectus humanus dicit essentialem ordinem ad sensum, non item intellectus Angelicus.













99 A 6937

ULB Halle 3  
002 546 205




V. 17

2etro











B.I.G.

Farbkarte #13

OS DISPUTATIO PHYSICA, 50

11

# DE ANIMA, QVAM

*IN CELEBRI ET CATHOLICA ACADEMIA DILINGANA,  
die Iunij, Anno M. DC. XVI.*

PRÆSIDE

OSWALDO COSCANO SOCIETATIS IESV, PHILOSOPHIÆ PROFESSORE ORDINARIO.

*Publicè defendet*

VDALRICVS SATLER, DILINGANVS, SVEVVS, S. D. N. ALVMNVS, PHILOSOPHIÆ BACCALAVREVS.



✻ DILINGÆ, ✻  
Apud Viduam IOANNIS MAYER.

